



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Stella Mystica**

**Bonald, François**

**Coloniae, 1607**

De gaudijs quibus fruuntur Beati in coelesti Paradiso.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10014**

garis, adimpleas, promittit tibi o-  
pem suam: Quapropter fac quæ ip-  
se postulat, atque auxilium illius  
non respue, sic enim faciliori nego-  
tio ad portum salutis appelles, ubi  
Iesum sponsum tuum contemple-  
ris, atque cum eo semper collate-  
ris.

SEMPER COLLAETE-  
MVR.

*De gaudiis quibus fruuntur Beati in  
cœlesti Paradiso.*

CONSIDERATIO.

**F**ELICITAS hominis,  
Anima Christiana, latè  
accepta, non modò con-  
sistit in clara visione Dei,  
sed etiam in fruitione ac gaudijs  
quæ hanc visionem comitantur. A-  
nima quæ contemplatur, Deum at-  
que ipso ac gloria illius inseparabi-  
liter perfruitur, tam ingenti volup-  
tate atque exultatione complebi-  
tur, ut ebriæ similis futura sit, quod  
Psalmista testatur cum sic Deum al-  
loqui-

loquitur. Inebriabuntur ab ubertate  
 domus tue, & torrente voluptatis tuae  
 potabis eos. Et Isaias, animas al-  
 quens. Videbitis, inquit, & gaudebit  
 cor vestrum. Volens indicare id quod  
 alibi scripserat & quod S. Paulus in  
 epistolis suis postea citauerat, ni-  
 mirum quod visuræ sint quæ oculus  
 non vidit, nec auris audiuit, nec in  
 cor hominis ascenderunt. Atque  
 hæc videndo præ ingenti admi-  
 ratione extra se rapiuntur, & in-  
 credibili voluptate ac gaudio com-  
 plebuntur. Beati videbunt, hoc est,  
 vt S. Augustinus S. Pauli Apostoli  
 autoritate nixus exponit, cognos-  
 cent. Videbunt igitur & cognoscent  
 Dei Patris potentiam: Dei filij sapi-  
 entiam: Dei spiritus sancti bonita-  
 tem: & vnicam atque indiuisam  
 summæ Trinitatis substantiam. Hæc  
 visio adijcit idē S. August. erit sum-  
 mum bonum & gaudium omnium  
 Angelorum & Beatorum. Hugo vir  
 doctissimus dicit eos quibus hæc  
 foelicitas obtigerit, vt in coelestem  
 ciuitatem suscipi mereantur, gaudi-  
 furos

Isa. 66.

Gaudia Be-  
atorum qua-  
lia sint.

Ex contentis

*platione  
sanctissime  
Trinitatis.*

suos esse de tribus generaliter & specialiter, videlicet de Deo, de gloria illius, ac demum de sua & aliorum beatorum foelicitate.

Quibus verbis indicare voluit, quod gauisuri sint primum de contemplatione Dei quem in sua maiestate videbunt, inhabitantem lumē inaccessibile, atque omnium creaturarum perfectiones ac pulchritudinem in se longè perfectius & absolutius, quam ipsis creaturis insint continentem. Lætabuntur deinde ex contemplatione gloriae Christi quoad humanitatem, in qua plurimas admirabiles prærogatiuas aduertent, nempe quod primogenitus sit inter fratres, hoc est, primus inter omnes electos: quod Redemptor vniuersorum: quod Rex Angelorum & hominum: quod Sol iustitiæ, cœlestem Ierosolymam illuminans, atque in omnem æternitatem illuminaturus: & alia huiusmodi, quæ à mortalibus nec verbis exprimi nec mente cogitari possunt.

*Ex contem  
platione  
Christi.*

Erit

Erit etiam illis magna gaudiorum occasio gloriosam virginem **MARIAM** cernere super omnes Angelorum atque Archangelorum ordines exaltatam, in regio throno residentem: Splendidissimo gloriæ lumine circumfusam: corona duodecim stellarum hoc est, duodecim excellentiarum suarum, quemadmodum S. Bernardus explicat, coronatam. Post B. virginem latabuntur ex visione beatitudinis & felicitatis Angelorum & Archangelorum: Patriarcharum, & Prophetarum: Apostolorum, & Euangelistarum: & Martyrum & Confessorum: Pontificum & Doctorum: sacerdotum & Religiosorum: Virginum & viduarum: atque omnium cæterorum sanctorum, nominatim illorum quos in hoc mundo viuentes nouerunt, aut à quibus aliquod beneficium spirituale acceperunt, aut quibus aliquid adiumenti ad beatitudinem hanc consequendam attulerunt.

Quando vero semetiplos considera-

*Ex contemplatione B. Virginis Mariae.*

*Ex contemplatione Beatorum omnium.*

*Ex contem-  
platione sui  
ipforum.*

*Psalm. 30.*

*Ex corporū  
glorificatio-  
ne.*

derauerint, atque se ad beatissimum salutis portum appulisse atque sempiterna gloria decoratos, naturæ diuinæ participes effectos, in corruptibilibus thesauris locupletatos, atque delitijs ac voluptatibus nullo fine terminandis immerfos esse cōspexerint, quo putas gaudio cumulabuntur, qua voluptate perfundentur? Nonne cum Propheta exclamabunt: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine?* Magna profecto eis id dicendi aderit causa, maximè cum cum considerauerint cruciatūs & supplicia quibus torquentur & torquebantur in omne æuum qui ad infernum condemnati fuerint, seque ab hoc periculo iam liberatos esse conspexerint. Hæ sunt causæ gaudij ac lætitiæ animarum beatarum. Hæ delitiæ ac voluptates quibus in omnem æternitatem perfruentur: horum autem foelicitas nūc quidem ingens & ineffabilis est, sed augebitur adhuc quando post corporum suorum iteratam assumptionem, illa gloriola & splendentia esse

esse viderint. *Seminatur*, inquit S. Paulus, *corpus hoc in corruptione, resurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* hoc est, promptum ad iterandum spiritui. Modo enim vt sapiens ait, *corpus quod corrumpitur aggrauat animam.* Tunc autem nihil impedimento erit. Nam dotabitur dono impassibilitatis, claritatis, agilitatis, & subtilitatis: atque idcirco nihil ei nocere poterit. Claritatem demonstrat sapiens cum ait: *Fulgebunt iusti, & tanquam scintilla in arundineto discurrent.* Et Isaias, *Sancti, inquit, assument pennas sicut aquila, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Subtilitas vero illorum tanta erit vt nullum corpus quantumuis solidum eos impediturum sit, quo minus illud quando sic animæ visum fuerit penetrent. Non quod corpora eorum desinant esse corpora naturalia, cum carnem habeant & ossa,

L quem-

quemadmodum corpus Saluatoris, sed quod adornanda sint perfectio- nibus magis congruentibus coele- sti vitæ, quæ Angelis simillima, atq; ab omnibus miserijs & grauamini- bus quibus corpora hæc corrupti- bilia obnoxia sunt exempta esse de- bet. Homo, inquit S. Iob. *natus de mu- liere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs. Qui quasi flos egredi- tur & conteritur & fugit velut um- bra, & nunquam in eodem statu per- manet.*

*Miseria ho- minis.*

Mox vt in lucem editus fuerit, gemere ac plorare incipit: fame premitur, siti exarescit, caloribus v- ritur, frigoribus exercetur, infirmi- tatibus alijsque plurimis incommo- dis afflicatur. Grandior effectus, si ad aliquem dignitatis gradum ex- tollitur, inuidorum calumnijs pa- ret. Si diuitijs atq; opibus angetur: latronum iniurijs expositus est. Si voluptate aliqua fruitur, heu bre- uis nimium & exigui temporis est. Etenim præterquam quod mul- tis sæpenumerò amaritudinibus ea per-

permixta fit, mors tamen eam statim abscindit.

Hæc autem & alia innumerabilia incommoda longè aberunt ab illa superna ciuitate, ac ciuibus celestibus. *Deus enim*, vt sacræ literæ de beatis loquentes, inquit, *absterget omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Non cruciabuntur amplius fame aut siti, non solis caloribus atque ardoribus adurentur, non mortis legibus subiacebunt, latronum insidias non metuent, ab inuidorum calumnijs & obtreptionibus libererunt: à Diabolo ultra non impugnantur: nec ab inferno absorberi poterunt. Possessio sempiternæ gloriæ, atque diuitiarum & deliciarum coelestium erit eis securissima Cantabunt cum Propheta: *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Dicent etiam: Quis eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu.* Tunc, vt ait

*Ab omnibus his beatitudinis sunt.*

*Amatorum  
huius mun-  
di cecitas.*

Psalmita: *Exultabunt sancti in gloria letabuntur in cubilibus suis.* Tempus me deficiet si omnia sacrarum literarum testimonia recensere velim, quæ gaudia quibus sancti in cœlesti Paradiso fruuntur, describunt. Pauca illa quæ hæctenus notavi, sufficere possunt ad te permouendum vt cum Propheta Dauide exclames: *Quam gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* Et, *Quam dilectata-bernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Amatores huius mundi placeant sibi in eo, quando quidem vanitatem rerum humanarum, nec soliditatē diuinarum intelligunt. Maximi æstimant honores, diuitias, & voluptates præsentis vitæ; & non vident quod mors eos insequatur, & laboret, vt eis ista eripiat. Diues qui horrea sua amplificauerat vt in ea vberes fructus quos ei ager attulerat, reponderet, animæ suæ dicebat: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Sed quantum errarit statim

statim intellexit quando ei à Deo dictum fuit: *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti, cuius erunt?* Quasi dictum ei fuisset: Tu longo tempore te victurum, & bonis tuis cum voluptate ac gaudio fruiturum existimabas: sed plurimum falleris. ecce mors vitam tibi hac nocte auferet, & mundus bona tua retinebit. O quanto sapientius egisses, si hæc tua sollicitudo fuisset quomodo animam bonorum operum meritis exornares, quam quomodo cellaria & horrea, vino ac frumento repleres. Merita enim hæc te semper comitaretur, atque aditum in coelos tibi patefecerent, cum bona terrena te descrant, & forsitan causa tibi sempiternæ damnationis erunt.

Age igitur, Anima Christiana, toto pectore suspira & anhela ad æterna bona, fac vt desideria tua in hoc vno versentur, quomodo nimirum ad beatissimum salutis portum appellas. Et si foelicitas & gaudium, quod confertur his qui ad

*Exhortatio ad æternorum bonorum desiderium.*

coeleste regnum perueniunt, non  
satis efficaciter te allicit ad eam pe-  
tendam & persequendam. Confide-  
ra è contrario infœlicitatem illam  
atque ingentia mala quæ illis im-  
minent, qui in mari huius mundi  
nafragium facientes ad inferos  
descendunt.

*De infœlitate illorum qui naustra-  
gum in mari huius mundi pati-  
untur.*

CONSIDERATIO.

**S**criptura sacra quando  
narrat, quomodo Core,  
Dathan, & Abiron, qui  
contra Moysen rebella-  
uerant, terra dehiscente viui ad in-  
fernum descenderint, aperte satis  
indicat infernum, damnatorum o-  
mnium sedem ac receptaculum,  
sub terra esse, ac proinde locum esse  
humilem, obscurum, tenebrosum,  
angustum, atque sordibus & im-  
munditia plenum, qualia consue-  
runt esse loca subterranea & carce-  
res, in quos terreni Reges grauioris  
alicuius

*Infernum  
sub terra  
est.*

*Illius descri-  
ptio.*